



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Originvm Monasticarvm Libri IV.**

**Le Mire, Aubert**

**Coloniae Agrippinae, 1620**

Cap. XV. Ordo Eremitarum S. Guiliemi seu Guilielmitarum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11249**

Guilielmi adferuatur in dicto S. Saluatoris cœnobio, apud Nuscum Apuliæ urbem, in quo diem obiit; Romano Martyrologio adscriptus 25. Iunij. Vide Arn. V Vionum lib. I. Ligni vitæ cap. 51. & nostram notitiam Abbatiarum vniuersi orbis, in Dicecesi Nuscana: itemque Felicem Rendam in vita S. Guilielmi.

Generalis Præfectus Ordinis est triennalis, & præest monasterijs circiter quadraginta septem.

## CAPVT XV.

*Ordo Eremitarum sancti Guilielmi seu Guilielmitarum.*

Ordinis huius caput, ac sedes primaria olim fuit *Stabulum Rhodis*, quod est monasterium apud Rosetum seu Grossetum dittonis Senensis opidum, loco olim deserto situm: in quo eiusdem Ordinis comitia seu capitula generalia quondam celebrati plerumque solebant. In dicto Stabulo Rhodis *S. Guilielmus*, Aquitaniæ Dux & Pictonum Comes, peractis varijs peregrinationibus sacris, eum ab hominum consortio totum se subduxisset, ordinem suum Eremiticum fundauit: quem postea *B. Albertus* eius discipulus, & comes indiuiduus, qui que in sæculo (vt scribit *Dochetus Aquitanorum Chronographus*)

illi à secretis fuerat , & *Reinaldus* ex medico monachus , alijque mirificè propagarunt. Militasse autem hunc ordinem à multis retrò sæculis sub regula sancti Benedicti , ex variorum Pontificum, vt *Innocentij IV.* *Alexandri IV.* *Vrbani IV.* & aliorum diplomatibus probat *Sampson Haius* , *Guilielmita Parisiensis*, in suo libro de veritate vitæ & Ordinis sancti *Guilielmi*, Parisijs anno 1588. edito: quæ quidem diplomata mox subiungam.

*Innocentij IV. diploma datum Lugduni  
anno 1248. in favorem Guilielmitarum.*

**I**nnoCentius Episcopus , seruus seruorum Dei, dilectis filijs Priori Generali, cæterisque Prioribus & fratribus Eremitis ordinis S. *Guilielmi*, tam præsentibus quàm futuris, regularem vitam professis in perpetuum. Religiosam vitam eligentibus Apostolicum cõuenit adesse præsidium , ne fortè cuiuslibet temeritatis incurfus eos à proposito reuocet, aut robur, quod absit, sacrae religionis infringat. Eapropter, dilecti in Domino filij, vestris istis supplicationibus clementer annuimus, & domos vestras, in quibus diuinis vacatis officijs seu obsequijs, sub B. *Petri* & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti priuilegio communimus. Imprimis siquidem statu-

tuentes, vt ordo monasticus, qui secundum Deum & beati Benedicti regulam atque institutionem, fratrum Ordinis S. Guilielmi, in domibus ipsis institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inuiolabiliter obseruetur.

Præterea quascumque possessiones, quæcunque bona, eadem domus in presentiarum iuste & canonicè possident aut id futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu alijs iustis modis, præstante Domino poterunt adipisci, firma vobis veltrisq̃ successoribus & illibata permaneant: in quibus hæc proprijs duximus exprimenda vocabulis: Loca ipsa, in quibus domus præfatæ sitæ sunt, cum pertinentijs suis, videlicet cum Ecclesijs, decimis, hortis, vineis, oliuetis, pratis, terris, nemoribus vsuagijs & pascuis, in busco & in plano, aquis & molendinis, vijs & semitis & omnibus alijs libertatibus & immunitatibus suis, &c.  
Datum Lugduni I l. Non. Sept. an. 1248.

*Alexandri IV. Papæ diploma datum Anagnina.*

**A**lexander Episcopus, seruus seruorū Dei dilectis filijs, Generali & alijs Prioribus ac fratribus Ordinis S. Guilielmi, salutem & Apostolicam benedictionem. Licet olim provisione facienda inter vos, & alios Eremitas, tunc Ordinum diuersorum, fueritis ad præsentiam

tiam nostram citati: quieti tamen, & salutem vestrae paterno prouidentes affectu, praesentium vobis tenore concedimus, vt sub regula S. *Benedicti*, secundum institutiones S. *Guilielmi*, remanere in solito habitu liberè valeatis, nullis obstantibus litteris, gratijs, vel priuilegijs, à sede Apostolica in contrarium impetratis, vel impetrandis in posterum. Nulli ergo, &c. Datum Anagninae x i. Kal. Septemb. Pontificatus nostri anno secundo.

*Vrbani IV. diploma datum apud Vrbanam Veterem.*

**V**Rbanus Episcopus, seruus seruorum Dei dilectis filijs, Generali, caeterisque Prioribus & fratribus ordinis S. *Guilielmi*, salutem & Apostolicam benedictionem. Praeclarum Ordinis vestri expetunt merita, vt in his, quae animarum fructum pariunt, & eundem Ordinem ab infamiae macula reddunt tutum Apostolicam sedem vobis inueniatis propitiam & benignam. Sanè petitiō vestra nobis exhibita continebat, quòd licet vos ordinis sancti *Benedicti* regulari obseruantiae astricti sitis, nonnulli tamen ex vobis, assumpta audacia, quòd sub leuiori pugna de antiquitate vestris versutijs facilius triumphabunt, humani fragilitatis seducti consilio, ad mitioris obseruantiam ordinis aspirantes, ad ordinem

fratrum Eremitarum ordinis S. Augustini, proprio motu, se transferre præsumperunt, in vestrum & Ordinis vestri dispendium, animarum suarum periculum, & scandalum plurimorum. Quare super hoc præfatæ sedis prouidentiam suppliciter implorastis. Nos igitur pijs vestris supplicationibus anuentes, ne quis postquam in ordine vestro votum professionis emiserit, ad præfatum ordinem Eremitarum, absque prædictæ sedis licentia speciali, se transferre valeat, auctoritate præsentium inhibemus; decernentes irritum & inane, quicquid contra tenorem præsentium ab aliquo contigerit attentari. Nulli, &c. Datum apud Urbem veterem, X. Kalend. Februarij, Pontificatus nostri anno secundo.

*Guilielmitæ non possunt transire ad Eremitas Augustinianos sine licentia Papa.*

Guilielmitæ itaque in Francia ac Belgio viuentes iuxta præscriptum regulæ S. Benedicti, etiamnum festis diebus duodecim Lectiones in Nocturnis horis recitant, cum Augustiniani non nisi nouem legant. Colunt insuper S. Benedictum, vt regulæ suæ conditorem, cuius statuam memini me Parisijs apud Guilielmitas in summo altari collocatam videre, cum anno 1610. ea in vrbe versarer. Quod nota contra Raph. Volaterranum, Iac. Bergomensem, Onuphrium, Iosephum Pamphilum, Morisium, & alios, qui Guilielmitas regulæ Augustinianæ subijciunt.